

(a)
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

CHLOROSI

QUAM

SENSU FACULTATIS MEDICAE
HALENSIS,

PRAESIDE

VIRO

PERILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,

PHILIPPO FRIDERICO
MECKEL,

MEDIC. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD., REG.

BORUSS. A CONSIL. SANCTIOR., INSTIT.

CLINIC. CHIRURG. DIRECTORE ETC.

UT

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME ACQUIRAT,

DIE XIV. OCTOBR. MDCCCXCVI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

DEMETRIUS ZAPHYRIDES,

AMPELACIA - THESSALUS.

HALAE,

TYPIS BATHEANIS.



ΤΟῖΣ
ΕΝ ἈΜΠΕΛΑΚΙΟΙΣ
ΦΙΛΟΙΣ
ΚΑΙ
ΕΥΕΡΓΕΤΑΙΣ

ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΣΥΓΓΡΑΦΕΩΣ
ΤΟΥΤΙ ΤΟ ΒΙΒΛΙΔΑΡΙΟΝ

ἀνατίθεται.

CIVIBUS
AMPELACIA - THESSALIS,

FAUTORIBUS ET AMICIS,
PIETATE ET OBSERVANTIA COLENDIS,

LIBELLUM HUNC
GRATA CONSECRAT MENTE

AUCTOR.

DE CHLOROSI.

I.

NOMEN ET DEFINITIO.

1.

Quodsi, monente Pergameno, ἐπὶ πάντων ζητούμενων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι τὸ ὄνομα, nostri quoque ratio instituti sciscitari videtur curatius nominis, quo hic morbus insignitur, examen, ut quonam modo auctores potuerint eodem uti, elucescat.

2.

Chlorosis vox manifesto a colore χλωρῶ originem ducit; qui vero, qualis fuerit apud vetustissimos, qualis apud recentiores auctores, haudquam ita primo patet intuitu. Primaria huius vocis significatio, a χλοῆ derivanda, recens decerp- tam herbam, molle aliquid et tenerum, νεαρόν καὶ πρόσφατον, μαλακόν τε καὶ ἀπαλόν, exprimit. Sic apud Poëtam Il. A. 631.

Ἡδὲ

Ἡδὲ μέλι χλωρόν, παρά δ' ἀλφίτου ἱεροῦ ἀκτὴν, μέλι χλωρόν, ἀντὶ τοῦ πρόσφατον: ita apud Dioscoridem lib. III. c. 90. (p. 211. ed. Sarra- cen.) τοῦ δε ἀνθους χλωροῦ ἔχυλός: et τυρὸς χλωρὸς apud Aristophanem βατραχ. v. 530. ἀντὶ τοῦ νεοπαγῆς.

3.

Alius vero et longe diversus est significatus χλωροῦ χρώματος pro ὠχροῦ, de quo uberius loquitur GALENUS in commentar. ad HIPPOCR. de victu acut. 2. p. 59. (ed. Basil. graec. fol. 1538.) Χλωρόν δὲ κατὰ τε τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας Ἑλλήνων ἔθος, ὃ ἐστὶ καὶ νῦν διασωζόμενον· ὠχρούς γὰρ τινὰς ἰδόντες, ἐρωτῶσι τὴν αἰτίαν, δι' ἣν οὕτω γεγόνασιν χλωροί, μηδὲν διαφέρειν ἠγούμενοι χλωρόν εἰπεῖν καὶ ὠχρόν. Ἐωρακέναι τε τὸν δὲ τινὰ χλωρότερον ἑαυτοῦ φασὶ, τὸν ὠχρότερον, οὕτω δηλοῦντες. Ἔστι δὲ τὸ ὠχρόν χρώμα κατ' ἀλήθειαν τοιοῦτον, οἷον πῦρ, καὶ τὸ τῆς καλουμένης ὠχρᾶς, ὀξύνομένης κατὰ τὴν προσηγορίαν τῆς πρώτης συλλαβῆς. Καὶ γίγνεται τοιοῦτον, ἐπιμιγνυμένης τῷ ὕδατῶδει περιττώματι τῆς ὠχρᾶς τε καὶ πικρᾶς καὶ ξανθῆς ὀνομαζομένης χολῆς. Ὅσον γὰρ τοῦ ζυθοῦ χρώματος ἐπὶ τὸ λευκότερον ἀποκεχώρηκε τὸ ξανθόν, τοσοῦτον τοῦτο τὸ ὠχρόν.

Idem iterum alio loco (comm. I. in prognost. p. 122.): Εἰώθασιν χλωρόν ὀνομάζειν οἱ παλαιοί, ποτὲ μὲν τὸ ὠχρόν, ἐνίοτε δὲ, ὡς οἱ πολλοὶ κράμβας

τε καὶ θριδακίνας καλοῦσι χλωράς, ὅπερ χρώμα με-
 λάντερον ἐστὶν ἐρυθροῦ, καὶ οἶον ἀρχὴ τις τοῦ μελαί-
 νεσθῆαι τε καὶ πελιδοῦσθαι, ψύξεως ἐργαζομένης
 αὐτὸ.

Bene itaque CELSUS, ubi χλωρὸν HIPPOCRATES, ibi pallidum ponit colorem, e. g. lib. II. c. 6. Et quod SOPHOCLES in Trachin. v. 316. de Hercule dixerat

— Ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου
 πέπωκεν

id CICERO tuscul. II. 8. vertit: Decolorem sanguinem exforbuit. Hinc jam apud Maeonium vatem II. H. 417.

— — Τοὺς δὲ χλωρὸν δέος ἦρει
 ἀντὶ τοῦ χλωροποιόν. Quid quod χλόον vertat HESYCHIUS ὠχρότης et apud APOLLON. Rhod. argonaut. lib. II. v. 527.

— — Χλόος εἶλε παρειάς: pallor invasit genas. Χλώρασμα quoque apud HIPPOCRATEM Epidem. lib. VI. f. 2. t. II. viriditas pallescens et χλωριάζειν Epidem. lib. IV. XXI, 19. cum virore pallescere.

4.

Nomen vero ipsum Chlorosis ante Senertum usurpatum fuisse non videtur. Apud veteres enim vel omnino non, vel complicitum tantum malum, vel alieno longe nomine insignitum adlegatur, nullibi vero ubertim describitur.

In

In Hippocraticis scriptis nonnisi melancholia et delirium describitur, quae menstrua sequantur suppressa (libro *περὶ παρθεν.*): alio autem loco de *ἠπιάλω* sermo est, quae sequatur menostasiam. (HIPPOCR. de superfoetat. p. 48.) Fuit autem *ἠπιάλος πυρετός* de genere quotidianarum continuarum, quod a pituita acida et vitrea oriatur. Namque, ubi ea moderate, aut potius dimidio sui putret, febrem excitat epialam: in ea autem quaevis pars corporis, eodem tempore, totaque constitutione febrem et rigorem sentit: febrem quidem a portione pituitae vitreae incensa et putrente, frigus vero a reliqua ejus parte non putrente nec incensa, sed frigida manente. Siquidem non putris pituitae pars per universum corpus et omnes venas dispersa rigorem concitat: quae vero jam putruit, secundum veterem doctrinam, febrem accendit: non aliter, quam si pituita vitrea et bilis flava simul abundarent et per partes sentientes moverentur. Frigoris ergo calorisque sensus in epiala febre eodem tempore, eademque parte contingit, eoque a lipyriis et reliquis febribus differt, in quibus vel interna uruntur, cum extima frigeant, vel ardor summus in visceribus est, cum extremae partes algeant. Nam quod in his majoribus portionibus accidit, hoc in epialis contingit exiguis portionibus, eoque universum corpus pariter ambo per sentiscit. Hujusmodi febris genus Graeci
 medici

medici ἡπιάλου proprie dixerunt, putavitque ARCHIGENES, nulli unquam alteri rei id nomen accommodatum fuisse. Veruntamen et Attici, ut GALENUS et HESYCHIUS scripserunt, ita vocarunt τὸ πρὸ τοῦ πυρετοῦ εἶγος, eoque nomine καὶ οἱ ψυχροὶ nuncupabantur, ut non sit quaerenda alia ratio hujus nominis, quam quod haec febris sit perpetuo frigida. Hinc itaque ἡπιαλῶν nomine comprehensam etiam fuisse chlorosin apud veteres arbitror.

5.

Ita etiam auctor libri de natura muliebri (p. 130.) symptomata fluoris albi describens, nostrum morbum simul complectitur. Apud ARETAEUM nomine καχεξίας describitur. (Causl. diurn. lib. I. c. 16. p. 46.) Arabes, praesertim AVICENNA speciem chloroseos sub nomine melancholiae amatoriae (Al-āfchk) delinearunt, (AVICENN. lib. III. fen. 2. tr. I. c. 4. p. 494. ed. PAULLIN.) quos Latinobarbari ad BALLONIUM usque exscripserunt. Hic vero morbum nostrum nomine foedorum colorum virginei corporis egregie descripsit (Opp. vol. IV. p. 40.) ut et post eum DANIEL SENNERTUS, nomine febris albae, chloroseos et virginei morbi. (Pract. lib. IV. P. 2. sect. 3. c. 2.)

Ut autem manifesto pateat, qualem nos morbum putamus, addamus hypotyposin ejus, seu definitionem nominalem: Chlorosis est cachexia feminarum, cum pallore corporis universali et asthma habituali. Quam definitionem rei definitae congruam esse, probeamus:

a. Chlorosis est vera cachexia, id est, morbus diuturnus, cum habitus depravatione et nutritione labefactata junctus. Sin enim, monente ΑΡΕΤΑΕΟ, ἰσχυρότης τις ἢ ἀχρότης, ἢ οἶδος, καὶ ἕτερόν τι πρόσκαιρον ἀνά τὸ σῶμα adfuerit, ἢν δὲ ἐς ἀσθενήν κακοχυμίαν ἢ φύσιν τραπή, τότε ἐστὶν ἡ καχεξία. Ἡ νοῦσος ἢδε δυσαλθής, ἢδὲ μήκιστον κακόν. Καὶ γὰρ τρέχεται χρόνῳ μακρῶ, καὶ οὐδὲ ἐπὶ μιῇ τοῦ σώματος κακίῃ, καὶ οὐδὲ ἐπὶ σπλάγγνῳ ἐνὶ ἀλλὰ γὰρ τῶν ἀπάντων τροπῇ ἐς πονηρόν. Inde patet, pallorem febrilem huc haudquaquam pertinere, neque eum, qui sequitur morbos acutos.

b. Chlorosis est morbus muliebris. Neque itaque hypochondriacus pallor asthma junctus in corpore virili, neque pallor infantilis, a verminoso potissimum statu oriens, huc pertinent. Neque albi naevi, qui lepram albam praecedunt, neque morbus νυκτανδρώπων in isthmo Panamensi Americae, in Cambaya Asiae, in Benzuela Africae huc trahendus. Neque chlorosis rachialgica a ΣΑΥΒΑΓΕΣΙΟ

GESIO dicta, quippe quae ad rachialgiam potius pertinet.

c. Pallor et asthenia universales symptomata sistunt maxime essentialia, quae nostrum morbum signant. Hinc itaque ad BROWNII morbos asthenicos summo jure numerandus, quippe qui stimulorum habitualium defectum fere semper supponat. Cruoris enim absentia aut imminuta copia proprie signat hunc morbum, qui penitus quoque tollitur, quoties ope remediórum aptorum amissam cruoris copiam restituere possumus.

II.

MORBI SIMPLICIS DESCRIPTIO.

7.

Ut plurimum incipit morbus apud virgines nobiles intercepto menstrui sanguinis fluxu, qui vel subito, admissis causis manifestis, vel pedetentim, absque occasione sub sensu cadentibus supprimitur. Oriuntur tunc primum molestiae a locali partium adfectarum passione derivandae, deinde vero etiam consensuales et universales. Stagnans sanguis in vasis uterinis, e quibus eliminari non poterat, relaxat vasa sanguifera, ipse abit in partes propius ipsum constituentes, hinc fit pituitosus et mucosus. Tumet venter imus, turget vagina et tumet: gravitatis et ponderis infueti sensus in pelvi percipitur:

tur: pedes stupent, aegriusque moventur: lassitudo totum corpus corripit, donec tandem mucus ipse e vagina effluerit, qui acer saepius et foetidus esse solet, atque periodos menstrui fluxus regulares servat.

8.

Accedunt saepenumero vertigines, capitis dolores, qui vel hemicraniani simulant, vel in syncope praesertim percipiuntur, vel ad occiput figuntur et cum terebrante clavo nonnunquam comparantur. Qui quidem dolores adeo fixi sunt, ut nunquam fere cessent, ut autem matutino tempore plerumque infestissimi sint.

9.

Faciei habitus interea depravatur. Genae et labia pallent, seu *χλωριάζουσι*: oculi saepius glandulosi ophthalmiis laborant, labia tument, ut scrofulosas esse virgines credideris, nisi ex intercepto menstruo fluxu provenire totum hoc morbi genus pateret. *Τὰ δὲ κοῖλα*, ut loquitur HIPPOCRATICUS auctor (de nat. muliebr. p. 130.) *αἴρεται* i. e. concavae partes faciei videntur prominere et tumere, quod ad *ὑπόπια* praesertim applicandum, quippe quae, maxime post somnum, ubique tument: *καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ὑγροί, καὶ ἡ χροὴ ἰκτερώδης καὶ λευκὴ γίνεται*. Genae saepius pendulae apparent: alioquin altera rubet, altera *χλωριάζει*:
color

color semper *αἰόλος* et momento citius saepe mutatus. Ambitus narium nonnunquam praeprimis *χλωρασμα* patitur, quod et in angulis oris maxime refidet. Extrema autem narium, aurium et digitorum fere semper frigida.

10.

Pulsus plerumque languidus, mollis, et parvus: nonnunquam tamen frequentia ejus augetur, ut et febrilis status adesse quibusdam videretur, sicut nomen febris albae, quo morbum hunc SENNERTUS insignivit, declarat. Accedit palpitatione cordis et anxietas, quae falso saepius plethorae delegatur, quemadmodum frequentia pulsus et rubor alterutrius genae suspicioni huic favere etiam quandoque videntur.

11.

Respiratio semper difficilis, *θολερὸν πνεῦμα* HIPPOCRATIS, maxime vero dum¹ scalas adscendunt, aut dum laborant: *ἐκὸταν πορεύηται, ἀσθμαίνει*, dicit HIPPOCRATICUS auctor. Hinc etiam pigritia ad motus, torpor, amor solitudinis, quietis et sedentariae vitae.

12.

Huic accedunt varia digestionis et *ἀναδόσεως* τῶν τροφίμων symptomata. Appetitus adest maxime irregularis, aut plane deficit, ut perpetuum aegras

aegras adfligat fastidium ciborum suetorum, nulla etiam fere adsit sitis. Plerumque vero malacia ea laborant, quae digestu difficilia, foeda, velut creatam, fericum, carbones ipsumque lutum ingerere eas cogit. Simul adsunt flatus continui, cardialgiae aut ponderis et gravitatis sensus in abdomine: ructus acidi et obstipationes pertinacissimae: abdominis tumor fere tympaniticus: vomituritiones et vomitus ipsi materiae acidae, mucosae. Lingua apparet plerumque pura, humida, praerubra, raro sicca.

13.

Urina solet esse jumentaria, aut pituitosa, albida. Sic HIPPOCRATICUS auctor (nat. muliebr. p. 130.) *ὀκράταν λευκὸς ὁ ῥοῦς ἐγγίνηται, ὕνου οὔρον φαίνεται.* (Vulgata lectio hic quidem *οἶον οὔρον* habet, quod cum ineptum sit, FOËSIUS jam ex parallelo loco emendavit *ὄνου* aut *ὄνειον οὔρον*.)

Perspiratio cutanea vel penitus supprimitur, vel acerrimi aceti odorem spirat. Frigoris sensus assiduus per totum corporis ambitum: eaque partium solidarum laxitas, quae tumores oedematofos musculorum producit. Nonnunquam simul adjunctus est flavidus quarumdam partium color, imo transitus chloroseos in icterum a RAULINO observatus (des affections vapor. p. 17.) nuperri-
mis confirmatur animadversionibus.

14.

Progressu morbi non solum nutritio et ἀνάδοσις, sed animi vires inprimis corripuntur. Adjungitur enim plerumque macies plurimum partium cum oedematibus aliarum: debilitas summa virium vitalium et muscularium: hydrops ἀνά σάρακα aut ἀσπίτης, icterus vel flavus vel atro-flavicundus: febris hectica, diarrhoeae pituitosae et adsiduis muci copiosi effluxus e vagina. Interdum tamen, licet raro, observatum est, sanguinem per menstrua mulieribus hoc morbo laborantibus omnino respondere. Hae etiam concipere foetum poterant: sed partum infirmum et parum vitalem edebant. Pleraeque autem aegrae steriles penitus sunt, neque unquam foetum concipiunt, quamdiu hoc morbo laborant.

15.

Saepius accidit animalibus praesertim functionibus infestum esse morbum, ut et insomnia semper turbida et pavores sub somno et deliria et spectrorum apparitiones aegras vexent, ut cum taciturnitate, morositate, hallucinationibus sensuum fere omnium, vera accedat melancholia, ubi αἰεὶ θανάτωσι, mortem concupiscunt aegrotae.

16.

Mors ipsa sequi potest hunc morbum, dum ἀποστάσεις oriuntur, vel ad cor, ut facultate vitali subito

subito suppressa aegra moriatur, vel ad cerebrum, ut apoplectica decedat, vel ad pulmones et ad alia organa vitalia.

III.

MORBI COMPLICATIONES.

17.

A pristinis inde temporibus observatum est, cum chlorosi, quae a menstrui fluxus interceptione oritur, melancholiam sui generis esse junctam: quae cum ab HIPPOCRATICO viro elegantius descripta sit, ab Arabibus, tanquam morbus singularis, Al-äschk, semper adlegatur. Primum autem fere vestigium hujus melancholiae in mytho exstat de PROETI filiabus, Junonem spernentibus. (SPRENGELS Beyträge zur Gesch. der Med. St. 2. S. 45. f.) Deinde in libro περι παρθενίων, ex stagnationibus sanguinis, qui alioquin per vasa uterina effluerat, melancholici adfectus varii derivantur. Ἐμωρώθη ἡ καρδίη, inquit auctor, εἴτα ἐκ τῆς μωρώσεως, νόσκη, εἴτ' ἐκ τῆς νόσκης παρθένοια ἔλαβεν· ὁ τόπος γὰρ ἐς παραφροσύνην καὶ μανίην ἕτοιμος. Ὑπὸ δὲ τοῦ ζοφεροῦ φοβέεται καὶ οὐδὲ οἶκεν, ὑπὸ δὲ τῆς περὶ τὴν καρδίην πιέξεως ἀγχύνας κραίνουσιν, ὑπὸ δὲ τῆς κακίης τοῦ αἵματος, ἀλύων καὶ ἀδημονέων ὁ θυμὸς κακὸν ἐφέλκεται· ἕτερον δὲ καὶ φοβερά ὀνομάζει· καὶ κελεύουσιν ἄλλεσθαι καὶ

κατα-

καταπίπτειν ἐς τὰ φρέατα καὶ ἄγχεσθαι. Ἄτε ἀμεί-
 νονά τε ἔόντα καὶ χρεῖην ἐξέχοντα παντοίην· ὁκότε
 δὲ ἀνευ φαντασμάτων, ἠδονή τις, ἀφ' ἧς ἐρεῖ τοῦ
 θανάτου, ὡσπὲρ τινος ἀγαθοῦ· φρονησάσης δὲ τῆς
 ἀνθρώπου τῆ Ἀρτέμιδι αἱ γυναῖκες ἄλλα τε πολλὰ,
 ἀλλὰ δὴ καὶ τὰ πολυτελέστατα τῶν ἱματίων καθιε-
 ροῦσι τῶν γυναικείων, κελευόντων τῶν μάντεων, ἐξα-
 πατεώμεναι.

18.

Arabum princeps Avicenna melancholiam
 amatoriam, seu erotomaniam graphicis coloribus
 ita describit: Est melancholia, ubi cogitationum
 attentio ad siduo figitur in pulcritudinem formarum,
 quas consequi nequimus. Signa ejus sunt pro-
 tuberantia oculorum et motus continuus palpebra-
 rum visibilis: palpebrarum tumor et suspiria con-
 tinua, cum pallore et impotentia motus.

Hanc quidem insaniam speciem plerumque
 ex vitis organorum generationi inservientium et
 ex eo statu, ubi mulier aut virgo a mensibus de-
 fecta est, oriri probavit ARNOLDUS (vom Wahn-
 sinn, Th. II. S. 347.)

19.

Alia est et maxime memorabilis complicatio
 chlorofoeos cum ovariorum muliebrium tumori-
 bus hydropicis et steatomatibus, quae in virgini-
 bus vetulis, non raro etiam post puerperia, ex

B

prae-

praegressa uteri inflammatione aut congestione
 faltem vehementiore versus organa muliebria oriun-
 tur. Sterilitas ἀναλθεσιότη, cachexia corporis uni-
 versalis, hydrops abdominis enormis sunt sympto-
 mata, quae ovariorum tumores comitari solent.
 (KRÜGER pathol. ovarior. muliebr. Gött. 1782. —
 CONRADI'S pathol. Anatomie, S. 355.)

20.

Silentio non praetereunda GESNERI observa-
 tio febris sic dictae inflammatoriae chloroticae,
 quam in variis aetatibus et in utroque sexu insti-
 tuit. Pallor et χλωράσμα quidem adest in toto
 corporis ambitu, quod cum flavicundo quodam
 colore nuptum est. Labia, lingua, fauces et un-
 gues decolores et quasi mortuorum speciem prae-
 se ferunt. Languidus oculorum aspectus, neque
 tamen albugineae color mutatur. Facies tumida,
 praesertim τὰ ὑπώπια, reliquum vero corpus ma-
 crum; frigoris sensus assiduus, ut semper obtegi
 velit aegra: lassitudinem sentit et quietis amorem.
 Pulsus validus; arteria quasi aëre expansa; rhy-
 thmus pulsus fere nullus. Sanguis e vena missus,
 corio tenaci pleuritico obtectus: respiratio diffi-
 lis, et alvus fluxa, ad diarrhoeas aquosas prona.
 (GESNER'S Beobacht. Th. II. S. 86.)

Haec quidem morbi facies ad chlorosin pro-
 prie non concludere jubet, sed ad febris ἠπιαλῶ
 speciem,

speciem, quae apud veteres non raro occurrit, neque tamen eas supponit causas, ex quibus chlorosis originem ducit. GESNERUS enim ipse fatetur, in viris et juvenibus ejusmodi morbum se animadvertisse, unde ad febres potius quotidianas, phlegmaticas, aut *ἠπικλοῦς* numerandus est morbus. Etenim nullo modo video, qui possit clarissimus auctor ex sola corii sic dicti pleuritici observatione ad inflammatoriam hujus morbi indolem concludere, cum lippis et tonsoribus pateat, quantopere fallacia sint signa, quae ex sanguine misso desumantur, et quoties crusta sic dicta phlogistica longe alienum plane ab inflammatorio signet morbum.

IV.

CAUSSAE MANIFESTAE.

21.

Quae occasionem huic morbo oriundo praebent, ex oeconomia corporis muliebris praeprimis exponenda sunt. Quidquid enim menstruum fluxum vel subito intercludit, vel gradatim minuit, ut tandem subsistere et cessare debeat, aut quidquid constitutionem corporis nimis infirmit et *ἀνάδοσιν* praeprimis et chyli sanguinisque officinam pessumdat, id huic morbo facultatem facere potest.

Primaria caussa manifesta in animi adfectibus, maxime iis, qui lentius pessumdant vires, est quae-
renda. Hinc amor cum perpetuis desideriiis, quae
expleri nequeunt, junctus, amor infauustus, aut
praematura phantasiae incitatio, qua gaudia coitus
adsiduo sibi effingunt iuvenulae, chloroseos prae-
cipuae caussae sunt. Vituperandae itaque atque
perstringendae sunt illae virgines, quae lascivis
cogitationibus et desideriiis locum relinquunt, et
tempore nocturno, cum somnum capere deberent,
variis obscenis imaginationibus indulgentes, con-
jugium magna anxietate exposcunt atque anhe-
lant; aut cruciantur, quod amati juvenis compotes
fieri nequeant. Siquidem ex tali animi inquietu-
dine et inexploto desiderio non solum vires labe-
factantur, sed congestiones quoque oriuntur passi-
vae versus eas partes, circa quas imaginatio prae-
primis ludit.

Summopere accusandus est hic imaginationis
error, dum eo progrediuntur infelices virgines,
ut semetipsas defricent atque digitis ipsis eliciant
laticem obscenum. Congestiones, quae manu-
stupratione hac producuntur ad ovaria et partes
ceteras genitales, relaxant et tenerrima reddunt
haec organa, ut non solum fluor albus, sed ipsa
etiam cachexia chlorotica sequi possit. Ex hoc
potissi-

potissimum foedissimo fonte hodierno die pleraeque chloroses originem ducunt.

24.

Pari fere ratione agunt diuturna tristitia, curae et cogitationes profundae, moestae, quae robur et tonum partium solidarum solvunt, appetitum atque chylicationem destruant, transpirationem impediunt, absorptionem nimis argent, excretiones cohibent, sanguinis circulum, pulsumque reddunt difficiliorem et menstruum fluxum sistunt. Hinc viduae juniores saepius chloroticae: hinc etiam in iisdem stimuli habitualis, nempe feminis virilis et coïtus defectus, aliquid conferre potest ad morbi ortum. Hinc jure suo omnino CULLENIUS, ad ovariorum muliebrium statum praeprimis esse respiciendum dixit, cum in sterilibus, virginibus, viduis multo frequentior sit morbus, quam in maritatis et foecundis.

25.

Prae ceteris insignis causa chloroseos quaerenda est in animi muliebris viribus nimis ad studia severiora incitatis, praesertim vero ea aetate, ubi humorum fluxus ob erupturos menses magis fit irregularis et eo facilius congestiones excitat. Tenerae enim puellae, annis, quibus nubiles fiunt, vel lectione assidua, vel studiis irretitae, tum sedentaria vita peccant, tum etiam sanguinis cursum

sum praepostere ad cerebrum et ad superas partes adliciunt, qui alioquin regulari modo ad omnes aequaliter partes derivari deberet. Vetus proverbium hoc jam innuit, juxta quod de pallente homine dicitur: "Aut studes, aut amas." Memoratu quoque dignum refert hujus causae exemplum GALENUS de amica sua Arria, quae Platónis philosophia irretita, cataleptis specie correpta, atrophiae jam propinqua erat. En autem ipsius verba. (De theriac. ad Pison. p. 458.) Τὴν δὲ πάντα μοι φιλάτην Ἀρρίαν, καὶ αὐτὴν ὑπὸ φιλοσόφων ἐξόχως ἐπαινουμένην, διὰ τὸ φιλοσοφεῖν ἀκριβῶς, καὶ τοῖς Πλάτωνος μάλιστα χαίρειν λόγοις, ἀνέσωσαν ποτὲ νοσήσασαν οὐ παρέργως, καὶ τὸν στόμαχον ἐκκελυμένον ἔχουσιν, καὶ κειμένην οὕτως ὑπτίαν, ὡς μηδὲ τὰς τροφὰς δύνασθαι λαμβάνειν, καὶ διὰ τοῦτο εἰς τὸν τῆς ἀτροφίας κίνδυνον ἐλθεῖν. "Ὅτε δὴ καὶ ὡς οἱ ἐμπειρότατοι τῶν ἰατρῶν ἐδεράπευσαν τὴν γυναικα, ὑποδείξαντος ἐμοῦ, τὸν ἀψινθίτην οἶνον περὶσχόντες αὐτῇ πιεῖν. Πιοῦσα γὰρ, εὐθέως ἀνεξέρωσθη τε τὸν στόμαχον, καὶ ταχέως ἀπέληφε τῆς ὀρέξεως τὸ ἔργον.

26.

Quoniam motus et quies, somnus et vigiliac etiam merito ad res non naturales referuntur, hinc eorum abusus ad morbos virginum producendos omnino aliquid conferre videtur. Opus est quiete et somno, ut vires reficiantur, succique utiles et nutritii

nutritii colligi et apponi possint; motu vero et vigiliis, ut functiones vividius exercentur, superflui humores excernantur, perspiratio augeatur et humores attenuentur. Ab utraque parte recta ratio et proportio est servanda: motus respondeat quieti, vigiliac somno. Hinc etiam HIPPOCRATES Aphor. II. 3. pronunciat: ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφοτέρω τοῦ μετρίου μᾶλλον γενόμενα, κακόν. Ubi enim modum excesserit quies, sanguis non rite circumfluit neque attenuatur; irritabilitas pessumdat, secretiones et excretiones salutares retardantur: corpus non rite transpirat; impuritas humorum, catarrhi, adfectus pituitosi, cacochymia, menstruorum defectus et innumera malorum caterva, hoc ex fonte promanans, oriuntur.

Quilibet itaque ex dictis facile colligere potest; pessime agere illas virgines, quae per totum diem fellis insidentes acu pingunt aut fila ducunt, aut plane otiosae sunt et nihilofecius largiter cibos ingerunt. Magis vero adhuc peccant contra propriam sanitatem, quae non solum horis diurnis quiescunt, sed etiam somnum longius fere usque ad meridiem protrahunt: siquidem iis caput gravatur, mens hebetatur, pituita generatur, corpus frigidum redditur, robur partium solidarum infringitur, humores crassescunt, excretiones cohibentur, alvus constipatur, menstruus fluxus sufflaminatur, ex quo dein menstrui sanguinis pallor, fluor albus et cachexia muliebris oriuntur.

Ex

Ex mala consuetudine, mox post pastum federe ad jugum fuendo inferviens (Näh-Rahmen Germani adpellant) derivat chlorosin Avreiacus apud BLUMENBACHIIUM (medic. Biblioth. Th. II. S. 245.)

27.

Accusanda deinde varia nutrimenta et potulenta, praesertim vero acidorum esus, aceti ipsius; aut largior ingestio lactucae aceto conditae, uvarumve aliorumque fructuum horaeorum, quae nondum perfecte maturuerunt: ut et placentularum saccharatarum, quae et pituitam gignunt, digestionem quoque et ἀνάδοσιν ciborum depravant, ut cachecticus inde status oriri possit. Carpenda quoque est pessima quarundam virginum consuetudo, quae per totum diem ex marsupio offas delicatulas promunt. Siquidem hac ratione ventriculus nunquam a labore suo vacat, et dum crudae semicoctis admiscetur, digestionis et chylicationis opus laeditur, flatulentiae generantur, ructusque molestiam creant. Ita enim jam HIPPOCRATICUS auctor (de prisc. medic. p. 13.) Πολλοῖσιν ἀρχὴ νόσου αὕτη μεγάλῃς ἐγένετο, ἣν τὰ αὐτὰ σιτία, ἃ μεμαθήκει ἅπαξ ἀναλίσκειν, δις ἢ πολλακίς προσενέγκηται: et vetus Schola Salernitana:

“Tu nunquam comedas, stomachum ni
noveris esse

“purgatum vacuumque cibo, quem sum-
feris ante.,”

28.

Inter potulenta noxium praeprimis est infusum fabarum Coffeae arabicae tostarum et foliorum Theae Boheae et viridis, quae a Germanis mulieribus aquosa bibuntur, qua ratione, tanquam aqua tepida agunt, quae magnopere relaxat ventriculum et pituitae generandae occasionem praebet. Hinc itaque cachexia nostra facillime originem ducere potest. Pallor enim et asthenia universalis sequi debent nutritionem labefactatam et pituitosam primarum viarum colluviem.

29.

Tandem ad dietam circa aërem respiciendum, qui ubi frigidus ad incalescens corpus applicatur, non solum perspirationem sufflammat, sed menstruum etiam fluxum intercipit. Ita etiam humidus aër maxime noxius est, in quo si degant mulieres, laborare solent tum perspiratione suppressa, tum menstruorum defectu, quod lotrices praesertim testantur.

30.

Morbi quoque muliebres varii praegressi in chlorosin transire possunt, e. g. febris puerperalis, seu peritonitis puerperarum, quae hunc morbum tanquam metastasin, producit: unde BORDEUS cachexiae lacteae nomine eam insignivit. (Recherches

ches sur les malad. chroniqu. p. 93.) Sic post puerperia nonnunquam remanere hunc morbum CHAMBONUS DE MONTAUX observavit. (Des malad. des fem. vol. II. p. 160.)

31.

Commenta variorum auctorum, praesertim veterum, de causa chloroseos proxima attentionem nostram haudquaquam merentur. BALLONIUS enim cum aliis ad liquoris seminalis, ex prostatica et glandulis vaginalis exeretis coaeervationem et stasim respicit, ut ortum hujus morbi in feminis sterilibus exponat. BOERHAAVIUS credit, glutinosi spontanei abundantiam esse arguendam. CULLENIIUS ad ovariorum muliebrium statum et defectum stimuli habitualis consilium transfert. Quas quidem opiniones ea ratione veras habeo, qua partem deorsus morbi omnino explicant: neque tamen inde effeceris jure, totum naturae morbi caput versari in singulis iisdem. Ad atoniam omnino et laxitatem totius systematis, ad pituitosam et glutinosam colluviem praecipue artifex medicus respicere debet, ut morbo huic medeatur.

V.

C U R A T I O.

32.

Ut itaque, quam ratione medela hujus morbi sit instituenda, ordine indicare possimus, ad causas primum manifestas et ad morbos praegressos est recurrendum. Quodsi enim chlorosis ad menostasiam, aut ad fluorem album accesserit, eo videndum, ut menstrua iterum ordine terantur.

33.

Haec autem restitutio menstrui fluxus ita efficitur, ut primum ad statum internum respiciatur, qui a causis externis productus fluxum menstruum continuo retinet. Praeter chirurgicum auxilium, quod *ἀνεργσία* requirit, in iis, quae diuturna jam amenorrhoea laborant, et quarum habitus jam *χλωρίάζει*, stases inveteratae abdominales, cum laxitate partium solidarum et atonia vasorum adesse solent, quibus resolvendis operam dare debemus: simul autem conemur corporis compagem ita firmare et roborare, ut sanguinis mixtio sana iterum restituatur.

34.

Huic fini praeprimis respondet diaetae ea regularis institutio, ut motibus continuis, vel activis,

vis, si ferre aegra potest, vel passivis exercentur corpus, ut animus hilaris sit, et amoenis rebus occupatus, ut, si fieri potest, ad coïtum admittatur femina; ut deinde ciborum et potuum ea sit qualitas, quae nec laxitatem nec pituitosam colluviem generare, sed stomachum firmare et facilius digeri possit. Ambulatio ipsa in aëre sereno, locisque amoenis, silvaticis, apricis aut umbratilibus: vectio quotidiana in curru, ipsa equitatio: peregrinationes praesertim et itinera ad loca, fontibus medicatis insignia: saltatio modica et ludi varii, quibus corpus firmatur: deinde occupationes, quae serenitatem et hilaritatem animi sustinent, multum faciunt ad tollendam atoniam et laxitatem viscerum abdominalium.

35.

Quum praeterea in virginibus nubilibus et viduis facile oriatur hic morbus a desideriiis coïtus, qui non expletur, matrimonium est suadendum, quod optimum saepius et jucundissimum exhibet remedium, quo chlorosis tolli possit. Pessimum sane consilium, quod JO. PLATEARIUS (exposit. in antidot. Nicolai, f. 219. b.) monialibus et viduis chloroticis dat, digitis nempe propriis eliciendum esse laticem illecebrosum, ex cujus stagnatione morbi ipsarum orientur. Pessimum, inquam, consilium, cum magnopere inde debilitari et nisi jam con-

convulsionibus obnoxiae sint, atrocissimis mox nervosis passionibus corripi debeant.

36.

Laxitati deinde et atoniae obviam eundem, ope balneorum frigidorum, quae caute vero adhibenda, dum spasmi obnoxiae sunt aegrae. Aquae martiales, balnea ex granulato ferro parata, fontes medicati Spadanus, Brücknavicensis, Lauchstädtenfis, Pyrmontanus, Schwalbacensis, adhibendi. Deinde etiam varia ferri praeparata, tartarus chalybeatus, vitriolum martis, limatura martis, cum roborantibus, resolventibus, antispasmodicis, jungenda, ut pluribus simul satisfiat indicationibus. Ita pilulae ex vitriolo martis, sapone veneto et extractis amaris: ita pulvis ex tartaro chalybeato, cortice Winterano, et floribus chamomillae: ita electuaria ex limatura martis, assa foetida et syrups parata saepius egregie opitulatur.

37.

Resolvere stases abdominales egregie saepius valent emetica in parvis sed refractariis dosibus exhibita, quae cum opio junguntur, dum spasmi simul adsunt, qui infarctus servant et nutriunt. Jungenda his remediis, pulveri nimirum Doveri, aut tartari emetici et opii aequalibus portionibus
balnea

balnea tepida, quae spasmos praesertim sedare, eaque ratione stales resolvere possunt.

38.

Varia deinde exstant remedia, quae proprie vasa uterina stimulare, roborare et sanguinem versus loca primario adfecta derivare possunt. Interna, tali fini inservientia sunt radix Rubiae tinctorum, quae usu contra chlorosin inprimis celebratur, sunt amara stimulantia, velut Achillaea millefolium, quae in infusis adhibetur, extracta Apfintii, Cardui benedicti, Marrubii, Matricariae, Myrrhae et gummi Galbani. Externæ vero agunt ita pessaria stimulantia, scarificationes, et hirudines ad labia genitalium apposita.

39.

Electricitas quoque, caute adhibita, quantum possit ad curandam chlorosin et menostasiam, docent observationes BERTHOLONII (Anwendung und Wirksamkeit der Electric. Th. II. S. 74.) et POMÆ (HUFELANDS neueste Annalen der franz. Arzneyk. Th. II. S. 320.) Ea tamen ratione adhibenda est, ut primo corpus assuescat stimulis electricis, quod optime fit ope balnei electrici: deinde scintillae eliciantur: post vero concussiones ope lagenae Leidensis aut Kleistianae ita producantur, ut catena, quae cohaeret cum lagenae externo

terno tegmento, pedibus substernatur, deinde vero ope conductoris, qui cum interno lagenae tegmento cohaeret, scintillae e manibus eliciantur.

Cavendum in adhibenda electricitate, ne congestiones adsint sanguineae, ne spasmi et irritabilitas nimia; quae vitia summe augere solet stimulus hic insuctus.

40.

Quod denique inspiratio aëris puri seu dephlogisticati mirifice saepius profit in chlorosi, observationibus FOURCROYI evictum est. (HUFELANDS Annalen, Th. I. S. 357.) Non calor solum corporis augebatur ab aëre puro inspirato, non rubor cutis tantum restituebatur, sed pulsus etiam ita accelerabatur, ut febriles motus orti fuisse viderentur. Hinc clarissimus auctor efficit, stimulum praebere aëre puro habitualement, eumque fortiozem, quo circulus sanguinis augeatur et mixtio sanguinis depravata in integrum restituatur. Ipsa quoque habitatio in locis elatis, montosis, alpestribus nonnunquam febrem albam optime curavit, quod quantopere utilis sit aëris puritas in eodem morbo, probat.

41.

Cavendum autem denique, ne purgationibus evacuantibus cujusvis generis aut venae sectionibus

bus aegrae debilitentur. Memores sumus HIPPOCRATICI illius dicti: (De rat. vict. in morb. acut. f. IV. t. 175. p. 76.) Ἐιδέναι δὲ τοὺς κεφαλαλγικούς ἐκ γυμνασίων, ἢ δρόμων ἢ πορῶν, ἢ κυνηγεσίων, ἢ αλλοῦ τινὸς πόνου ἀκαίρου, ἢ ἐξ ἀφροδισίων· τοὺς ἀχρεοῦς, τοὺς βραγχαλέους, τοὺς σπληνώδεας, τοὺς λειφαίμους, τοὺς πνευματώδεας, καὶ ξηρὰ βήσσοντας, καὶ διψώδεας, τοὺς φουσώδεας καὶ φλεβῶν ἀπολήψιας· ἐντεταμένους ὑποχόνδρια καὶ πλευρὰ καὶ μετάφρενον, καὶ τοὺς ἀπονεναρκωμένους, καὶ ἀμαυρὰ βλέποντας, καὶ οἷς ἤχοι τῶν οὐράτων ἐμπίπτουσι κ. τ. λ. τῶν τοιούτων μηδένα φαρμακεύειν. Κίνδυνόν τε γὰρ ἔξεις καὶ οὐδὲν ὀνήσεις, τάς τε ἀπὸ ταυτομάτου ἀπαλλάξιας καὶ κρίσιας ἀφαιρήσεις.

Qui locus ad virgines foedis coloribus laborantes omnino pertinet, et magnam vim habet ad refutandos eorum errores, qui vel cacochymiam emendare vel humorum copiam minuere perperam student. Nam et chloroticae virgines gravissimis laceffuntur capitis doloribus, praesertim vero ἐτεροκρανίᾳ, sunt ἄχρεοι καὶ λειφαίμοι, distenta hypochondria maxime habent et asthmatibus laborant. Itaque decreto HIPPOCRATIS purgatione interdicti debent, multo magis et venae sectione.

42.

GALENUS in commentario suo ad hunc locum omnia haec probat, ad foedos virginum colores prae-

praefertim applicat, sed tamen ἀδιορίστως capienda non esse contendit, sed διορισμούς τε καὶ σαφῆς διδασκαλίας adhibendas esse. Ἐπαντα γὰρ ἐν αὐτῷ γέγραπται, σὺν ἀποδείξει τε καὶ σαφηνείᾳ καὶ διορισμοῖς τοῖς προσήκουσιν. Τὰ δ' οὕτως ἐσπαρμένα, καθάπερ ἡ νῦν ὑποκειμένη ῥῆσις, οὐδὲν ὀνίνησιν. Ἐὰν μὲν γὰρ νῦν ἀκούη τις ἀπλῶς ἐκάστον τούτων ἀνευ τοῦ διορίσασθαι, πολλὰ κακῶς πράξει κατὰ τὴν τέχνην· εἰ δὲ ἐκάστον, ὡς χρὴ, διορίσῃται, γνώσεται πρῶτον κ. τ. λ. Quod diligenter notandum est, ne frustra in cephalalgis, quibus chloroticae virgines affliguntur, evacuantium aut aliorum remediorum usu malum pejus reddamus.

T H E S E S.

1. Caussa proxima' maximae illius humorum secretorum diversitatis, quam in statu sano observamus, magis in vasorum diverso habitu, minus in nervorum organi efficacia haeret.
2. Idem de secretionibus morbosis, tam ratione quantitatis, quam ratione qualitatis, valet.
3. Exstirpatio partium carcinomate affectarum vix a vitae periculo liberat.
4. Amputatio membrorum retardata praeferenda est cito nimis institutae.

-
5. Versio fetus in utero ejusque post versionem extractio majoribus saepe difficultatibus premittitur, imo semper fere majus fetui infert vitae periculum, quam ope forcipis obstetricii si in lucem affertur.
 6. Magis periculi e contraria parte matri imminet a forcipis usu.
 7. Capitis fetus terebratio, nisi quammaxime incaute peragatur, tutissimum matri praesidium fert.
 8. Obstetricibus partus nunquam committi deberet.
 9. Remedii emetici scopo tartarus emeticus radici Ipecacuanhae antefendus est.
 10. Salium mediorum solutiones optima sunt purgantia.
 11. Drastringorum remediorum tutior fit usus, dum successive exhibentur.
 12. Hinc nunquam in substantia exhibenda sunt, neque per se.
-

Δημητρίῳ τῷ Ζαφυρείδῃ

Γεράσιμος ὁ Γρηγορίνης.



Τοῦτο, ὅπερ ἤδη ἐμαντευόμην. Ἐχεις τῆς ἱεραῆς
 τῶν ἀνδρῶν συνόδου τὸν λόγον, καὶ τὰ Ἀπόλλω-
 νος γέρα εἰκότως ἤδη σοὶ αὐτοῖς παρεσκέυασται.
 Ἦδεται τὰ περὶ τὴν Ὀσσαν καὶ Πήλιον, καὶ τῷ
 Ὀλύμπῳ ξυνήδεται, ἐκδεχομένῳ, ὃν ἐκ πρώτης
 τοῦ ζῆν, ὃ Φασιν, γραμμῆς, ἐν τοῖς ἑαυτοῦ κέλ-
 ποις περιθάλψας, ἤγαγεν. Μεγίστας ἡγοῦ σοι
 τὰς Μούσας εἰδέναι τὰς Χαρίτας, νοσοῦσι τοῖς
 περὶ αὐτὰς πανάκεια ἐπεχέοντι φάρμακα, καὶ εὖ
 μεθόδως ἰωμένῳ αὐτούς. Κοσμεῖ δὴ ἦν ἔλαχες
 σπάρταν, καὶ οἴνοι μένων, σαυτὸν μακάριον νό-
 μιζε. Ἡμῶν δὲ, σοὶ καὶ τῇ πατρίδι τῇ σῆ, τῇ
 πάλαι ἐστία σοφῶν συνηδομένων μέμνησο· μέμ-
 νησο τῶν ἱερῶν ἐκείνων ἀγώνων, περὶ οὓς πολλὰ
 συγκεκύφαμεν, τῆς ὀσημέραι συνουσίας, τῶν λό-
 γων

γων ἐκεῖνων, οἷσπερ ἀσχολούμενοι, μεγίστην τὴν
 ἡδονὴν ἐκαρπούμεθα. Ἀποῦσι γράφε, οὓς παρῶν
 ἀκαπηλεύτῳ ἐφίλεις Φιλία, διαθέσεως ἀποδιδῶν
 τὸ ὄφλημα.

Ἐρξώμενος καὶ εὐδαιμονῶν διατέλει τῆς ἰα-
 τρικῆς ἔχων φροντίδα, ὅσα προσήκει τῷ μετὰ
 θεῶν ἐρώτων ταύτης ἡγμένῳ.

Δρέσδη, τῆ 5 Ὀκτωβρίου 1796.





DI. 11.15

SOME TIGHT
GUTTERS

